

ORDO MISSÆ SECUNDUM RITUM GALLICANUM ANTIQUISSIMUM

a sancto Germano episcopo descriptur
et sancto Iohanne Dionysiano episcopo restitutum
(Usum Ecclesiæ Orthodoxæ Galliarum in ævo XXI)

Ad Missam pontificalem : Pontifex a clero suscipitur ad ianuam ecclesiæ, clero jam induito paramentis sacris.

Ad Missam presbyterialem : Sacerdos celebrans, concelebrantes ministrique in sacrarium conveniunt et induuntur vestibus sacris.

Præparatio donorum sive proscomidia

Oblata a diacono vel presbytero ad altare præparationis præparantur.

Diaconus jam paratus ingreditur ad altare sacrarii vel mensam oblationis ; signat seipsum signo crucis et clara voce dicit :

Diaconus : In Nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen.

Puer natus est nobis et filius datus est nobis. Et vocabitur nomen eius admirabilis consiliarius, deus fortis, princeps pacis, magni consilii angelus, pater futuri sæculi cuius regni non erit finis. [Is 9,6 sq.] Per intercessionem sanctissimæ dei paræ, Domine, miserere nostri.

Sumens in manu sinistra panem dicens :

Dia. : Beati qui ad cœnam nuptiarum Agni vocati sunt. [Ap 19,9]
Ecce Agnus Dei qui tollit peccata mundi. [Jn 1,29]

Ter signat panem dicens :

Dia. : Agnus occisus est, redemit homines ex omni natione, fecit nos reges et sacerdotes et cum ipso regnavimus super terram. [Ap 5,12-9]

Et deponit panem in medio patenæ, tunc vinum fundit dicens :

Dia. : Deus qui humanæ substantiæ dignitatem mirabiliter condidisti et mirabilius reformasti, da nobis per huius aquæ et vini mysterium, eius divinitatis esse consortes qui humanitatis nostræ fieri dignatus est particeps.

Et perfumans turrim (vel astericum) ad turibulo, deponit super patenam dicens :

Dia. : In spelunca, in sepulcro, in virginali utero requieris, creator cœli et terræ, dignare, salvator mundi, in nobis permanere.

Similiter perfumans velum communionis et pallam sircam deponit super calicem dicens :

Dia. : Regnavit Dominus Deus noster omnipotens, gaudeamus et redemus ei gloriam quia venerunt nuptiae Agni et ecclesia sponsa eius præparavit se. Byssinum induit splendens et candicum, iustificationes enim sanctorum. [Ap 19,6-8]
Precibus eorum, seorsum sancti N (*nomen patroni ecclesiæ*) et sancti N (*vel sanctorum NN et NN*) cuius memoriam hodie celebramus, memento Domine, famuli tui [Gregorii] pontifici nostri, et N. sacerdoti nostri et [famulorum familiarumque tuarum NN et NNN - *ad libitum*] et omnis populi tui [memento autem et mei N... indigni Diaconi.]
In odorem suavitatis ascendat, Domine, oblatio nostra, sicut incensum in conspectu tuo propter salutem mundi universi.
Per misericordiam philanthropiamque tuam, Pater, et Filius et Spiritus sanctus, Deus noster benedictus, qui vivis, regnas et triumphas per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Deinde incensat diaconus sacrarium, ecclesiam et sanctuarium.

Synaxis generalis sive Missa catechumerorum

Liturgia a pulsantibus campanis præcedere posset.

Introitus

Dia. : Attendite, stantes silete !

Chorus intonat antiphonam ad prælegendum ut in Missali datur. Statim dum processio cleri ad sanctuarium progreditur. Celebrantes vero voce submissa dicentes :

Dia. : Oremus.

Celebrans : Domine Deus noster, qui statuis angelorum agmina ad servandum maiestatem tuam in cœlis, fac introitum nostrum in sancta sanctorum etiam hæc cœlestium spiritum ut et nos benignitatem tuam infinitam glorificare et concelebrare dignantur.

Diaconus aperit portas cancelli. Celebrantes intrant in sanctuario, diaconus deponit evangeliarium super altare ; thuriferarius et ceroferii recta locum suum petunt.

Celebrantes evangeliarium et altare osculantur dicentes :

Cel. : Salve Verbum vitæ æternæ, salve thronum altissimi.

Deinde celebrantes oculantur antimensium dicentes :

Cel. : Per orationes sanctorum quorum reliquiae hic sunt, Domine miserere nostri.

Deinde manibus extendens dicent :

Cel. : Cœlestis Rex, Consolator, Spiritus veritatis, ubique præsens et omnia inebrians, thesaurus gratiarum et donator vitæ, veni et in nobis permaneat, munda nos ab omni inquinamento et salva animas nostras, quia pius es.

Deus in adiutorium meum intende !

Dia. : Domine, ad adiuvandum me festina !

Cel. : Domine, labia mea aperies !

Dia. : Et os meum anuntiabit laudem tuam !

Cel. : Gloria Patri et Filio et Spiritui Sancto !

Dia. : Sicut erat in principio et nunc et semper et in sæcula sæculorum.
Amen.

Antiphona peracta diaconus vertens se ad plebem dicit :

Dia. : Silentium facite !

Et celebrans populum a signo crucis benedicens dicit :

Cel. : +Dominus sit semper vobiscum !

R/ : Et cum spiritu tuo !

Celebrans benedicit incensum secreto dicens :

Cel. : An illo benedicaris + in cuius honore cremaberis.

Deinde intonat cum clero :

Cel. : Aghios o Theos

Dum cantatur AYIUS celebrans censat altare per modum circuli et diaconus accepto thuribulo a celebrante censat (pontificem) celebrantes et clerum, demum de portis cancelli chorum et plebem.

Chorus : Aghios Ischyros, aghios athanatos, eleison imas
Sanctus Deus, sanctus Fortis, sanctus Immortalis, miserere nobis.¹

Celebrans evangeliarium elevans benedicit a signo crucis super altare cantans :

¹ Utendum est hodie acclamationem illam in lingua vernacularia hic addere.

(id est - Gallice : *Saint Dieu, Saint Fort, Saint Immortel, aie pitié de nous.* Germanice : *Heiliger Gott, Heiliger Starker, Heiliger Unsterblicher, erbarme Dich unser ...* Brittanice : *Holy God, Holy Mighty Holy Immortal ...* Hispanice : *Santo Dios, santo Fuerte, santo Inmortal, tien pieta de nosotros ...* Italice : *Santo Dio, santo Forte, santo Immortale, ...*)

Cel. : Benedicta sit sancta Trinitas atque indivisa Unitas, æterna, immortalis, invisibilis, cui honor et gloria in sæcula sæculorum.

R. : Amen.

Ad Missam pontificalem : Episcopus plebem benedicit cum dicheirum et tricheirum dicens :

Deus Sabaoth convertere respice de cœlo et vide ; visita vineam istam et perfice eam quam plantavit dextera tua. [ps 80,15-16]

Tres parvuli ore uno decantant :

Chorus : Kyrie eleison.

Deinde incipiente sacerdote alternis vocibus populum psallit :

Per annum et in tempore adventi : Prophetia (i.e. Canticum Zachariæ Lc 1,68-79)

In tempore septuagesimæ : Hymnus Notkeri Balbuli²

In tempore quadragesimæ : Beatitudines (i.e. Mt 6, 3-12)

In tempore paschalis et nativitatis: Gloria in excelsis Deo.

Dum cantantur prophetiam censat diaconus totiam ecclesiam, clerum et plebem.

Deinde collectam dicit Celebrans.

Collecta post prophetiam

(unam aut plures ut ordo officiorum postulat – vide Proprium)

aut, sine alium indicium, ad libitum collectam sequitur :

Cel. : Domine sancte Pater, qui in sanctis requiescis quem laudant Seraphim et glorificant Cherubim, qui omnia ex non ente ad esse deduxisti, qui nobis, famulis tuis humilis et indignos, ante gloriam altaris tui sancti nunc etiam persistere concedis, emitte nobis panem cœlorum, Deum et Dominum Iesum Christum, salvatorem et redemptorem nostrum qui benedit et sanctificat nos per ignem virtutemque Spiritus sancti, qui vivis et regnas, nunc et semper et in sæcula sæculorum.

R. : Amen.

² Notkerus Balbulus (840-912) : Media vita in morte sumus, quem quærimus adiutorem, nisi te Domine qui pro peccatis nostris iuste irasceris ? Sancte Deus, sancte Fortis sancte et misericors Salvator, amaræ morti ne tradas nos.

Lectiones

Lectio prophetica (id est ex vetero testamento)
aut Lectio ex Vitis sanctorum vel homiliis patrum
(In tempore paschali ex Actis Apostolorum)

Lector inclinat se et voce submissa dicit :

- Lector : Iube Pater (Domne) benedicere
Cel. : Ab ore sanctum prophetarum suarum, sit Deus noster benedictus.
(**vel** : ab ore sanctorum patrum nostrorum sit ...)
Lector : Amen. Lectio Libri NN prophetæ³...

Deinde cantant chorus et fideles Responsorium Graduale (vide Proprium).

Lectio Apostolica

Subdiaconus (vel Lector) similiter inclinat se et voce submissa dicit :

- Lector : Iube Pater (Domne) benedicere
Cel. : Ab ore sancti Apostoli N⁴, sit Deus noster benedictus.
Lector : Amen. Lectio Epistola beati NN Apostoli...

Benedicite (Daniel cum benedictione)

Lectio Epitolæ peracta cantat Chorus cum fideles Hymnum Trium Puerorum.

- Chorus : Benedictus es, Domine Deus patrum nostrorum, et laudabilis et gloriosus et superexaltatus in sæcula.
Benedictum nomen gloriæ tuæ sanctum et laudabilis et superexaltatum in sæcula.
Benedictus es in templo sancto gloriæ tuæ et superlaudabilis et superexaltatus in sæcula.
Benedictus es in throno regni tui et superlaudabilis et superexaltatus in sæcula.
R./ Benedictus es, qui respicis abyssos et sedes super cherubim, et laudabilis et gloriosus et superexaltatus in sæcula.

³ Isaiæ... Ieremiæ...etc.

⁴ Pauli, Petri, Iacobi, Iudæi, Iohanni..

Deinde cantat Chorus Alleluia cum versu aut Tractum in tempore quadragesimæ. Dum cantatur responsorium illum celebrans evangeliarium in manis diaconi tradit. Diaconus tenens librum ad caput suum versus ad populum, procedit ad ambonem concitantem libro et cantans :

Dia. : [Aghios,] Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Omnipotens !

R./ : Qui erat, qui est et qui venturus est. [Apo 4 :8]

Diaconus deponit librum super ambonem et convertens se ad altare dicit :

Dia. : Iube pater (Domne) me benedicere.

Et celebrans ad portas cancelli benedixit dicens :

Cel. : + Iesus Deus noster, primus et ultimus qui vivit in sæcula sæculorum, qui claves mortis et inferorum tenet, det tibi cor et os mundum vocemque magna ut tubam ad proclaimandum verbum suum signalum spiritibus immundis. Aperi Domine aures nostras ad audiendum quid spiritus dicat ecclesiis.

Dia. : Amen. Attendite ! Stantes silete ! Audiamus sanctum evangelium.

Diaconus incensat librum.

Cel. : +Dominus sit semper vobiscum.

R./ : et cum spiritu tuo.

Dia. : Lectio sancti evangeli secundum N.... [Mattheum, Marcum, Lucam, Iohannem]

R./ : Gloria tibi Domine.

Lectione evangeli peracta, plebs cantat :

R./ : Laus tibi Christe.

Diaconus ad portas cancelli evangeliarium celebranti tradit. Celebrans librum osculat et plebem benedixit. Deinde super altare deponit.

Canticum apocalypsis

Chorus : Sanctus, sanctus, sanctus, Dominus Deus omnipotens, qui erat, qui est et qui venturus est. Omnis tribus, omnis lingua, omnis populum et natio exaltet illum, quia fecit nos regnum et sacerdotes Deo nostro et regnavimus super terram. Ei gloria in sæcula sæculorum. Amen. [Apo. 4 :8]

Si homilia pronuntiari debet, hoc loco fiet.

DEPRECATIO SANCTI MARTINI PRO POPULO⁵

tunc diaconus in medio ecclesiæ petit ; celebrans vero stat coram altari ;

Dia. : Dicamus omnes ex toto corde et ex tota mente : Domine exaudi nos et miserere.

R./ Kyrie eleison

Dia. : Pro altissima pace et tranquillitate temporum, pro sancta ecclesia quæ a finibus orbis terrarum prolata est, Dominum deprecemur.

R./ Kyrie eleison

Dia. : Pro pastore nostro N... [Gregorio] episcopo et omnibus presbyteris et diaconis et omni clero et fidelibus, Dominum deprecemur.

R./ Kyrie eleison

Dia. : Pro hoc templo, hæc civitate⁶ et inhabitantibus in ea (eo), pro patria nostra et gubernantibus nos, et seorsum N et NN (tituli...), Deus conferat eos sapientiam ut in pace et tranquillitate vivemus, Dominum deprecemur.

R./ Kyrie eleison

Dia. : Pro omnibus qui a populi electi sunt et pro servis publicis, monachis, virginibus, sponsis, viduis et orphanis, pro illis qui sub gravi pœna laborant vel a labore deficiuntur, Dominum deprecemur.

R./ Kyrie eleison

Dia. : Pro felicibus temporibus, fœcunditatis et fructum copias terrarum, pro aeris, terræ, aquarum spatique salubritate, Dominum deprecemur.

R./ Kyrie eleison

Dia. : Pro pœnitentibus et catechumenis, pro Deum quærentibus etsi nomen eius adhuc invocare nesciant etiam pro his Deum adhuc non quærunt vel gratia eius reniuntur, Dominum deprecemur.

R./ Kyrie eleison

Dia. : Pro benedicti Christi nominis confessoribus, pro vexatis et vexatoribus eorum, pro periculoso iter agentibus et reditu salvo, pro infirmis seorsum N et N ..., pro his qui tristitia, angore, spiritibusque immundis vexantur, Dominum deprecemur.

⁵ secundum sacramentum « de Stowe », Dublin.

⁶ aut : hæc urbe, hoc monasterio, hoc pago etc.

- R./ Kyrie eleison
- Dia. : pro patribus ac fratribus nostris defunctis, in hoc loco vel ubicumque dormientibus, seorsum famulis Dei NN et NN..., Dominum deprecemur.
- R./ Kyrie eleison
- Dia. : Pro his qui in sancta ecclesia canunt, serviunt et fructus misericordiae largiuntur, Dominum deprecemur.
- R./ Kyrie eleison
- Dia. : Dominus impleat nos gratiae suae per intercessionem beatae dominae nostrae Dei Genitricis et semper Virginis Mariæ, sancti Michaëlis archangeli et omnis cœlestis agminae, sancti precursoris Iohannis baptistae, sanctorum apostolorum, martyrum ac confessorum, sancti (sanctae) NN cuius memoriam hodie celebramus et omnium sanctorum.
- R./ Præsta, Domine.
- Dia. : Dominus concedat nobis veniam peccatorum nostrorum ac christianum pacificumque finem, Dominum deprecemur.
- R./ Præsta, Domine.
- Dia. : Dominus custodiat nos in puritatem fidei et divinum caritatis vinculum, Dominum deprecemur.
- R./ Præsta, Domine.
- Dia. : Dicamus omnes ex toto corde et ex tota mente :
- R./ Kyrie eleison, kyrie eleison, kyrie eleison

Collectio post precem

- Cel. : Deus, virtus nostra et refugium, dispensator bonorum omnium, ecclesiæ tuæ placatus admitte, et quod cum tantæ fiduciæ petimus, nos concedere dignare, per misericordiam et philanthropiam tuam, Pater et Filius et Spiritus Sanctus, Deus benedictus qui vivis, regnas et triumphas in sæcula sæculorum .
- R./ Amen.

- Dia. : Stantes silete.
 Cel. : +Dominus sit semper vobiscum
- R./ et cum spiritu tuo
- Dia. : Aperiant labia nostra et annuntiet os nostrum quod fides in corda posuit.

Synaxis eucharistica sive Missa fidelium

Symbolum fidei

Dum cantatur Symbolum thuribulum a diacono celebrantem porrigatur; celebrans benedixit incensum voce submissa:

- Cel. : Per intercessionem beati Michaelis Archangeli stantis ad dexteram altaris incensi, incensum istud dignetur Dominus benedicere + et in odorem suavitatis accipere.

Deinde incensat Diaconus ecclesiam, clerum et populum

- Cel. : Credo in unum Deum
 R./ Patrem omnipotentem, factorem cœli et terræ, visibilium omnium et invisibilium. Et in unum dominum Iesum Christum, Filium Dei unigenitum: ex Patre natum ante omnia sæcula. Lumen de lumine, verum Deum de Deo vero, genitum non factum consubstantiale Patri: per quem omnia facta sunt. Qui propter nos homines et propter nostram salutem descendit de cœlis: et incarnatus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine, et homo factus est. Crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato, passus et sepultus est: et resurrexit tertia die secundum scripturas. Et ascendit in cœlum, sedet ad dextram Patris: et iterum venturus cum gloria judicare vivos et mortuos; cuius regni non erit finis. Et in Spiritum Sanctum Dominum et vivificantem, qui ex Patre procedit: qui cum Patre et Filio simul adoratur et conglorificatur; qui locutus est per prophetas. Et in unam sanctam catholicam ecclesiam: confiteor unum baptisma in remissionem peccatorum. Et expecto resurrectionem mortuorum et vitam venturi sæculi. Amen

Præfatio Missæ (vel præfatio ad fideles)

ad portas cancelli:

- Cel. : Fratres sororesque dilectissimi, orate mecum spiritum sanctum, ut communicet virtutem suam, et ego N... indignus sacerdos, oblationem sanctam Domini nostri Iesu Christi offere audiam. Ipse enim vere offert et offertur, accipit et distribuitur coæternus Patri et Paraclito per omnia sæcula sæculorum.
 R./ Spiritus Sanctus superveniet in te et virtus altissimi obumbrabit tibi.

R./ Cel. : Parcite, fratres
Parce, Pater et ora pro nobis
Cel. : Deus parcat vos.

Sonus

Dum sonus cantatur, diaconus a sacerdos benedicitur, deinde ingreditur sacrario cum cleros minores, comprehendens calicem et turrim (aut patenam) solemniter ad sanctuarium reddit.

Chorus cantat sonum, secundum Proprium vel sequentem :

Chorus : Taceat omnis caro, stetque in timore ac tremore : omnem curam terrenam deponat. Rex enim regum et Dominum dominantium procedit, immolandus et dandus cibum fidelibus.

Laudes

Chorus : Præcedit eum chorus angelorum, Principatus omnes et Potestates, Cherubim oculos habentes innumerabiles, ac Seraphim sex alæ cuique velantes faciem suam et cantantes : alleluia, alleluia, alleluia*.

**In tempore quadragesimæ* : Gloria tibi, Domine, gloria tibi.

Interim deponit sacerdos turrim aut patenam ad sinistram partem altaris et calicem ad dexteram ; deinde cooperit eos palla sirica prius ad thuribulum odoratura. Deinde incensat oblata dicens voce submissa :

Cel. : Vir nobilis Ioseph ex ligno detraxit corporem tuum purissimum, sindone immaculata involvuit, condit et in sepulcro novo sepeliit.
Sepulcrum tuum, christe, splendidius regum domibus, nuptoria et fons resurrectionis.
In spiritu humilitatis et animo contrito oramus Te, Domine, descendat angelus benedictionis + super hanc oblatam gloriæ nominis tui preparatam.

Lavans manuus ad dexteram partem altaris :[Ps 26 :6]

Cel. : Lavabo inter innocentes manus meas et circumdabo altare tuum, Domine.
Ut audiam vocem laudis et enarem universa mirabilia tua.
Domine, dilexi decorem domus tuæ et locum habitationis tuæ.
Pes meus stetit in via recta : in ecclesiis sanctis benedicam Te, Domine.
Gloria Patri et Filio et Spiritui sancto.
Sicut erat in principio et nunc et semper et in saecula saeculorum.
Amen.

Celebrans voce submissa dicit :

Collectio super oblatas

Cel : Suscipe, sanctissima trinitas, hanc oblationem populi tui et emitte cælestiam gratiam tuam ut munera nostra ferenda sanctificet et nos a peccatis nostris purificet. Per Christum dominum nostrum. Amen.

Tunc diaconus ante portas sanctas petit, verso populo ; cum sonus desinit, recitat nomina sive diptycha :

Diaconus : Hostias et preces deferimus pro sancta, catholica et apostolica ecclesia, ut Dominus eam confirmare dignatus est...

Omnes : per fidem, per spem et caritatem.

Diaconus : Pro episcopo nostro N..., omnibus episcopis, qui impavide verbum veritatis nunciant et oblationem sanctam offerunt pro se et pro clerum populumque christianum ...

Omnes : et pro omnes et pro omnia...

D. : Juncti illis, episcopo nostro, presbyteris nostris, atque populo circumstante, meminissemus mæstorum, captivorum, infirmorum, peregrinorum, ut eos Dominus protegere, redimere, sanare et confirmare dignatus est.
Oremus quoque proprie pro famulis Dei N, N

Chorus : *Memento Domine...*

D. : Simili modo oremus pro inimicis nostros et nos odientes.
Communicantes et memoriam venerantes sancti archangeli Michaelis et omnium celestium exercituum, patriarcharum, judicum, regum prophetarumque , sancti Johannis Baptistae præcursoris et, potissimum Dominae nostraræ, Dei paræ et semper virginis Mariae.

Diaconus ad iconem Matris Dei convertit

O. : Te vere Matrem Dei, exaltamus.

Diaconus ad fideles iterum convertit et persequitur :

D. : Sanctorum apostolorum Petri, Pauli, Johannis et Jacobi et omnium apostolorum, discipulorum et evangelistarum Domini, Stephani, Georgii, Catharinae, Blandinae et omnium martyrum ; Irenæi, Dionysii, Athanasii, Hilarii Pictavensis, Basilii, Gregorii Theologi, Johannis Chrysostomi, Ambrosii, Augustini, Gregorii Romani, Martini,

Nicolae, Germanii Autissiodorensis, Caesarii, Nectarii Æginæ, Johannis Franciscopolitani, Johannis Dionysiani, et Germanii Parisiensis cuius liturgiam celebramus et omnium doctorum et pontificum,
Antonii, Pachomii, Cassiani, Benedicti, Colombani, Isaac Syriani, Seraphim Sarovensis, Genovefae, Radegundis, Clothildis, Sancti (*Sanctae, Sanctorum, Sanctorum*) N..... cuius (*quorum, quarum*) memoriam hodie afferimus et omnium Sanctorum.

Ne per commemorationem diaconum obstrepeat, chorus tacite cantat :

Ch. : Deprecationibus eorum, Domine, visita nos...

D. : Cum illis offerimus preces nostræ pro omnibus qui in pacem Domini praecurrerunt nos ab Adam usque ad hodie.
Oremus proprie pro patribus nostris beatissimæ memoriae Irenæo pontifice et Maximo diacono... et pro famulis Dei N, N, ...

Hic nomina defuncti leguntur interea chorus tacite cantat ne diaconum obstrepeat :

Ch. : Memento Domine...

Per commemorationem defuncti presbyter velum super oblatas lente agitat.

Diaconus ad altarem convertit et pronuntiat :

D. : Donet eis Dominus requiem ubi lux faciei suæ splendet, rogamus ad Dominum.

Omnes : Kyrie eleison.

Collectio post nomina

Ut in proprio vel sequens :

Celebrans : Domine Iesu Christe, Deus omnipotens, signa salutari sigillo tuo hic præsentes servos tuos et in universo orbis usque ad finibus terræ ; ab omni malo protegantur et cognoscant Te, cum Patre et Paraclito, Salvator mundi philanthrope ; tibi decet laus, benedictio, sapientia, honor, virtus et gratiarum actio in sæcula sæculorum. [Apo 7 :12]

Ad Pacem

Deinde clamat diaconus :

Diaconus : Pacem facite

Celebrans osculatur altarem et verso fidelibus dicit :

Celebrans : Pax sit inter nos sicut cælum serenum.

Et statim celebrans dat pacem presbyteris et ministris, ministri autem fidelibus proximis et fideles dant invicem. Traditor dicens : « Pax tecum et ecclesiæ », receptor autem : « et cum spiritu tuo ».

Interim decantat chorus antiphonam ad pacem :

Chorus :

R/ Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis, non quomodo mundus dat, ego do vobis. [Jn 14 :27]

V/ Præceptum novum do vobis : ut diligatis invicem sicut dilexi vos. [Jn 15 :12]

R/ *Pacem relinquo vobis...*

V/ Gloria Patri et Filio et Spiritui sancto ; sicut erat in principio et nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

R/ *Pacem relinquo vobis...*

Collectio ad pacem

Ut in Proprio vel sequens (voce submissa) :

Celebrans : Sacrificium tibi, Domine, celebrandum placatus intende, quod et nos viciis nostræ conditionis emundet et tuo nomine reddat acceptos et communicatio præsentis osculi perpetuæ proficiat caritatis. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Canon missæ (Anaphora)⁷

ad portas cancelli :

Diaconus : Attendite, stantes silete, mysterium fidei .

Celebrans : *(ad portas cancelli benedixit dicens)*

℣ Gratia Domini nostri Iesu Christi, caritas Dei Patris et communicatio sancti Spiritus sit semper vobiscum.

Omnes : Et cum spiritu tuo.

Cel. : Sursum corda.

R./ Habemus ad Dominum.

Cél. Gratias agamus Domino Deo nostro.

R./ Dignum et iustum est.

Celebrans extendens manus decantat :

Cel. : Vere dignum et iustum est, æquum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne ineffabile inenarrabile, invise et immutable Deus, per Christum dominum nostrum. Per quem gloriam tuam laudant angeli, adorant dominationes, tremunt potestates. Cœli cœlorumque virtutes ac beata seraphim socia exultatione concelebrant. Cum quibus et nostras voces, ut iubeas deprecamur, supplici confessione dicentes :

Omnes : Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus Sabaoth. Pleni sunt cœli et terra gloria tua, hosannah in excelsis. Benedictus qui venit in nomine Domini, hosannah in excelsis.

Cel. : Vere sanctus, vere benedictus, unicus filius tuus, verbum creator et dominus maiestatis. Descendit de cœlis, formam cœpit servitutis, passionem acceptavit voluntariam ad liberandum opus suum et restituentum illum similitudine gloriæ suæ, Iesus Christus salvator noster, qui pridie quam pateretur accepit panem in sanctis ac venerabilis manibus suis, respexit in cœlum ad te deum patrem omnipotentem, gratias agens, ℣ benedixit, fregit tradiditque apostolis et discipulis suis dicens : Accipite et edite ex hoc omnes, hic est enim corpus meum qui pro vobis et pro multis confringetur in remissionem peccatorum...

⁷ texte restitué par l'évêque Saint Jean de Saint-Denis à partir des textes de la liturgie ambrosienne et mozarabe et de divers documents gallicans ; on notera que le texte du manuscrit palimpseste de Munich [Clm14429, Staatsbibliothek, München], découvert quelques années plus tard, vient confirmer les intuitions géniales de Jean de Saint-Denis ; cf. Eugraf Kovalevsky « *Le Canon eucharistique de l'ancien rite des Gaules* », Paris, ed. Saint-Irénée.

Omnes : Amen.

Cel. : Similiter postquam cenatum est, accipiens calicem, gratias agens, ¶ benedixit tradiditque apostolis et discipulis suis dicens : Accipite et bibite ex hoc omnes, hic est enim calix sanguinis mei, novi et æterni testamenti qui pro vobis et pro multis effundetur in remissionem peccatorum...

Omnes : Amen.

Cel. : quotiescumque hoc feceritis in memoriam meam feceritis, mortem meam proclaimabitis, resurrectionem nuntiabitis, et sperabitis iterum adventum meum de cœlo cum gloria.
Memores ergo sumus gloriosissimæ passionis eius et ab inferis resurrectionis etiam et eius ascensionis in cœlum

(Diaconus elevat calicem et patenam)

Cel. : nos, qui tui sunt, tibi offerimus e tuo pro tuis, hanc immaculatam hostiam, hanc rationabilem et incruenta hostiam et petimus ac precamur ut hanc oblationem suscipias in sublimi altari tuo per manus angelorum tuorum.

(voce submissa)

Cel. : sicuti suscipere dignatus es munera pueri tui iusti Abel et sacrificium patriarchæ nostræ Abrahæ et quod tibi obtulit summus sacerdos tuus et rex Melchisedech...
Petimus, Domine, et supplices rogamus maiestatem tuam ut ascendant preces humilitatis nostræ ad Te, Deum clementissimum, et descendat super nos, super hunc panem et calicem atque universum mundum plenitudo divinitatis tuæ sicut quodam descendebat olim mirabiliter super oblationes patrum nostrorum...⁸
Ut fiat hæc sacrificium verum ¶ Corpus...

Diaconus : amen.

Cel. : et ¶ Sanguinem...

Diaconus : amen.

Cel. : Filii tui Iesu Christi domini nostri, per immensam et incomprehensibilis virtutem tui sancti ¶ spiritus.

Omnes: Amen, amen, amen.

⁸ d'après Liber Ordinum ed. Ferotin col. 265

Omnes, in diebus ferialibus, prosternunt, dominica et tempore paschalis maxime inclinant.

Celebrans precem concludit in cantu :

Cel. : Ac præsta⁹, Domine, ut huius oblatio sanis custodiam adhibeat, languentibus medicinam infundat; discordantibus [fratribus] insinuet reconciliationem, et supereminente pacis augeat caritatem; stultis infundat sapientiam et sapientibus ne extollantur tribuat disciplinam, dat vigilantiam animis sopitis et studiosis dulcedinem; fiat nos per communionem sancti illo altari electorum consortes in regno cœlorum, accelerans Christi gloriosum adventum et plenitudinem Spiritus.
Per quem omnia creas, creata benedicas ☩, benedicta sanctificas, et sanctificata largiris,¹⁰
Tibi, Pater omnipotens, et verbo vero et fidelis, et spiritui sancto sanctificatori, omnis honor, gloria et adoratio, et nunc et semper et in sæcula sæculorum.

Omnes : Amen.

Fractio panis

Chorus cantat antiphonam ad confactorium sicut in proprio, vel sequentiam:

V/ Sapientia ædificavit sibi domum, excidit columnas septem, immolavit victimas suas, miscuit vinum et proposuit mensam suam. [Sg. 9 :1-2]

R/ Cognoverunt Dominum, alleluia, in fractione panis, alleluia, alleluia.

V/ Venite comedite panem meum, et bibite vinum quod miscui, relinquite infantiam et vivite. [Sg. 9 :5-6]

R/ Cognoverunt Dominum, alleluia, in fractione panis, alleluia, alleluia.

V/ Panis quem frangimus corpus est Domini, Calix quem benedicimus sanguis est Domini, solum et unicum mysterium ...[1Co 10 : 16]

R/ Cognoverunt Dominum, alleluia, in fractione panis, alleluia, alleluia.

⁹ Ibidem.

¹⁰ Missale Gothicum, ed. Mohlberg 47 [fol. 44R]

Interim celebrans panem frangit, dicens voce submissa :

Cel. : Proposita mensa, Agnus Dei immolatus est, partitus numquam divisus, comesus sed numquam consumatus. Vinum mixtum, sanguis effusus est. Bibamus ex calice inexhausto, relinquimus infantiam et profitemur unum, solum et terribilis mysterium.

Oratio dominicalis

Diaconus : Oremus.

Celebrans : Non nostro præsumentes, pater sancte, merito, sed Domini nostri Iesu Christi, Filii tui, obœdientes imperio, audemus dicere :

Omnes decantant :¹¹

Pater noster qui es in cæli,
Sanctificetur Nomen tuum,
Adveniat regnum tuum,
Fiat voluntas tua, sicut in cœlo et in terra,
Panem nostrum quotidianum da nobis hodie,
Et dimitte nobis debita nostra,
Sicut et nos dimittimus debitoribus nostris,
Et ne nos inducas in temptationem
Sed libera nos a malo.

In diebus ferialis :

Cel : Libera nos, quæsumus domine, ab omnibus malis, præteritis, præsentibus et futuris, et intercedente beata et gloriosa semper virgine Dei genitrice Maria, [cum beato N... cui memoriam hodie celebramus] et omnibus sanctis, quia tibi sunt regnum, virtus et gloria, in sæcula sæculorum ...

Omnes : Amen.

In dominicalis diebus :

Cel. : Libera nos, omnipotens deus ab omni malo, ab omni periculo, et custodi nos in omni opere bono, perfecta veritas et vera libertas, quia tibi sunt regnum, virtus et gloria, in sæcula sæculorum¹²...

Omnes : Amen.

¹¹ Mt 6 : 9-13

¹² Missale Gothicum ed. Mohlberg 21 [f. 13R]

Elevatio donorum

Deinde elevat celebrans patenam et calicem et decantat ter cum populo :

Cel. : Vicit leo de tribu Iuda, radix David, alleluia ! [Apo 4 :5]]

Omnes : Vicit qui sedet super cherubim, alleluia, alleluia !

Celebrans vertit ad populum, cum patenam et calicem, dicit :

Cel. : Sancta sanctis !

Omnes : Unus sanctus, unus dominus, Iesus Christus, ad gloriam Dei patris.
Amen.

Interim mergit celebrans particulam unam panis in calice, dicens voce submissa :

Cel. : Sit coniunctio corporis et sanguinis Christi obsidem transfigurationis nostrae atque defunctorum resurrectionis, in exspectatione consummationis saeculorum.

Benedictio populi

Diaconus : Humiliate capita vestra benedictioni ...

Omnes coram tibi, Domine.

Celebrans vertit ad populum. Sicut in proprio vel sequens :

Cel. : + Dignare, Domine, haec familia tua benedicere, delecta eam per tuam praesentiam, et fac haec mysteria afferant unicuique secundum necessitates eius, per misericordiam tuam o Deus noster benedictus in saecula saeculorum.

Omnes : Amen.

Communio clericorum

Celebrans dat diacono communionem ad corpus et sanguinem Christi dicens :

Cel. : Famulus Dei Diaconus N... communicat ad corpus (*aut* sanguinem) Domini nostri Iesu Christi per remissionem peccatorum et vitam æternam.

R./ Amen.

Celebratis missis accedunt sacerdotes, diaconi, clerici et laici ad sanctum eucharistiam corporis domini et poculum salutare. Ad communicandum etiam laicis et feminis patent sancta sanctorum¹³.

Communio fidelium

Sacerdos portant patenam et diaconus autem calicem vertunt ad populum.

Diaconus : Ecce Agnus dei, qui tollit peccata mundi, accedite cum Dei timore, fide et caritate.

Interea communionem fidelium cantat chorus antiphonam « ad accedentes » sicut in proprio, aut sequentiam :

Chorus : R/ Gustate et videte quam suavis est Dominus. [Ps 34...]
V. Benedicam Domino in omni tempore, semper laus eius in ore meo...

(et alia versicula e psalmo 34.)

Celebrans dat fidelibus communionem ad corpus et sanguinem Christi dicens :

Cel. : Famulus Dei N...(aut famula Dei) communicat ad corpus (aut sanguinem) Domini nostri Iesu Christi per remissionem peccatorum et vitam æternam.

R./ Amen.

Perfecta communione, reddunt celebrans diaconusque oblatas super altare.

Chorus cantat : Alleluia.

Celebrans benedit fidelium dicens :

Cel. : Domine, effunde misericordiam et gratiam tuam super eos cui cum fide communicavereunt.

Celebrans tegit patenam calicemque palla sirica et censat eos dicens voce submissa :

Cel. : Ascendit Deus in iubilo, et dominus in voce tubæ. [Ps. 47 : 6]

Interim cantat chorus :

¹³ Concilium Turonense 2. can. 4 (anno 567)

Tricanon

Chorus : Lucem veram vidimus,
Omnes : veram fidem invenimus, individuam trinitatem adoremus, ipsa enim
 salvavit nos.

Celebrans vertit ad populum cum patena caliceque cooperto :

Cel. : Dominus sit semper vobiscum
Omnes : et cum spiritu tuo .

Diaconus tollit eos ad abacum. Interim cantant fideles :

Omnes : Pane cælesti saginati et poculo æterni calicis recreati, Christo
 quotidiano præsenti in ecclesia sua gratias indesinenter agamus. Venit
 nobis a sacramentis suis, et iterum judicare mundum in gloria,
 coæternus patri et vivido spiritu.

Collectio post communionem

Diaconus : Terribilibus et immortalibus mysteriis Christi communicati, fratres
 sororesque dilectissimi, Domino imploramus ut pace, sanitate et
 sanctitate tempus transeamus, et a desideriis carnis liberati
 secundum spiritum vivamus, Dominum deprecemur.

Omnes : Præsta, Domine.

Cel. : Sit nobis, Domine quæsumus, medicina mentis et corporis quod
 de sancti altaris tui benedictione percipimus : ut nullis adver-
 sitatibus opprimamur, qui tanti remedii participatione munimur.
Per Christum Dominum nostrum, Filium tuum, qui tecum vivit et
regnat cum sancto spiritu, Deus per omnia sæcula sæculorum.

R./ Amen.

Gratiarum actio

Hymnus (Ps. 34)

Omnes : Confitemini Domino quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia eius.

(*et alia versicula ex psalmi 34. ad libitum*)

Dismissio

Deinde dicit

Celebrans : Fiat domine misericordia tua super nos.

Omnes : Quemadmodum speravimus in te.

Cel. : Dominus sit semper vobiscum

Omnes : et cum spiritu tuo

Cel. ✚ intercessione beatissima Dei Genitrix Maria, sancto NN... et omnibus sanctis, benedictio Dei omnipotentis Patris et Filii et Spiritu sancti, descendat super vos et maneat semper.

Diaconus : Missa acta est, ite in pace.

Omnes : Deo gratias.

✚